

D. August. Et mammantibus. in Psal. 59. Pagn. Arias. Hyeme, neque in Sabbato. num 20.

ALTER TEXTVS.

Marc. 13. n. 17. Væ autem prægnantibus, & nutrientibus in illis diebus.

Orate verò, vt hyeme non fiant.

Luc. 11. n. 23. Væ autem prægnantibus, & nutrientibus illis diebus.

EXPOSITIO III.

Prægnantibus, & nutrientibus. Seu mammantibus, seu lactantibus. Super has mulieres peculiariter lamentatur Dominus, quia prægnantes sarcina vteri, nutrientes onere infantium lactantium grauatæ, fugere non poterunt illa celeritate, quas necessitas exigit, vnde à militibus Romanis sæuientibus capientur, & ita simul cum suis paruulis trucidabuntur, ita exponunt D. Chrysof. D. Hilar. D. Hieron. D. Paschal. Euthym. Theophyl. Beda, D. Thom. Caietan. & alij. Addit Theophylactus hic etiam fieri allusionem ad rigidam famem, qua urgente obsidione multæ marres, ac nutrices compulsa sunt infantes suos comedere. Vt testatur Iosephus lib. 7. Belli cap. 8. Quod erat sanè extrema miseria, & angustia.

Orate autem: scilicet Deum. Docet temporum impedimenta oratione auferi posse; vt non fiat fuga vestra in hyeme; vel Sabbato, quia hæc duo tempora valde inepta erant ad fugam. Nam hyems valde horrida est frigore, niue, luto, pluuia, ac ventis, quæ omnia sunt magna impedimenta ad iter. Sabbatum verò etiam Iudæis erat improprietatum ad fugam, quia vt docent D. Augustin. lib. 1. quæst. Euangelic. cap. 37. D. Chrysofom. D. Hieron. Beda, D. Gregor. homil. 12. in Euangel. Albert. Magn. Hugo, Carthusianus, quia Iudæis in Sabbato non licebat ultra mille, imò, & multi volunt, ultra septuaginta passus ambulare. Act. 1. num. 12.

Et quamuis tempore excidij Ierusalem per Titum iam Sabbatum, ac omnia legalia legis veteris essent extincta, cum iam sufficienter Euangelium esset publicatum in toto orbe; tamen ait Christus: Orate vt non fiat fuga vestra in Sabbato; loquitur cum Iudæis ex ipsorum consuetudine, ac opinione. Vnde bis eos Christus tacite reprehendit. Primò, quia legem abrogatam adhuc obseruarent, tanta enim superstitione tenebantur, vt potius vellent mori, quam fugere in Sabbato. Secundò, ex lege naturæ pro conseruanda vita licita erat fuga in Sabbato.

Chrysof. Hilar. Hieron. Paschal. Euthym. Theophyl. Beda. D. Thom. Caietan. Ioseph.

August. Chrysof. Hieron. Beda. Gregor. Albert. Act. 1.

Præoccupatur obiecto.

QVÆSTIO VII.

Quare Christus Dominus dixit potius, væ prægnantibus, quàm væ claudis, agris, ac decrepitis?

NON solum ad iter sunt impeditæ prægnantes, ac nutrices, sed etiam claudi, mutuli, agri, ac decrepiti. Quæstio præsens est, cur ergo Dominus solum de prægnantibus, ac nutrientibus facit expressam lamentationem?

Respondeo. Primò, quòd mulieres fœcundæ habebantur vt benedictæ, è contra verò steriles, vt maledictæ: deinde prægnantes, ac nutrices solent esse in deliciis, & securæ ab omni malo ingruente, in omni moderato bello his consuevit parci, tum propter sexum, tum propter fœtum. Prædicat ergo Christus, quòd tanta calamitas premente Romanorum exercitu; quòd fœcundæ, quæ aliàs reputabantur benedictæ, execrabuntur, vt maledictæ dicentes: Beata steriles, & ventres, qui non genuerunt, & vbera, quæ non lactauerunt. Luc. 23. n. 29. & quæ aliàs erant in deliciis, & securitate, immunes non erunt à malo, sed ipsas pernicies apprehendet, cum non valeant fugere, quæ in tanto rerum excidio erit vnica salutis anchora; sic urgente calamitate omnia mutantur.

Secundò, D. Isidorus Pelusiota epist. 211. sic inquit. Væ prægnantibus, & nutrientibus, ait Dominus, ad illas animas, quæ diuinum amorem velut vtero adhuc gerunt, nec verborum libertate, ac fiducia vti, Deique confessionem, acrimque pro eo contritionem, ac dimicationem parere audent. Hæc verba, væ prægnantibus, &c. videntur referri ad tempora Antichristi, in quibus multi prædicatores concipientes in animo Dei amorem, illum tamen foras non edunt, aut producant libera verborum confessione, liberæque dimicatione, ac acri argutione contra principes, & magnates, eorum malefacta arguentes. Prouerb. 1. n. 20. Sapientia foris prædicat, in plateis dat vocem suam: addunt Septuaginta: in portis dynastiarum adstat. Vt ibi prædicet, & det vocem contra eos, ait Isaias 6. n. 5. de se ait. Væ mihi, quia tacui; quia vir pollutus labiis ego sum. Cur tantus propheta pollutus labiis dicitur? Respondet Glossa Interlin. Quia Oziam, & alios liberè non reprehendi, ideo cum Angelis Deum laudare non merui, & timeo ne dicatur mihi; Quare tu enarras iniquitates meas? Psal. 49. n. 16.

Tertiò, D. Ambrosius in cap. 21. Luc. ad hæc verba. Illi, ait, de quibus in superioribus dixerat Christus Dominus, edebant, bibebant, nubebant, litigabant, sollicitudinibus secularibus se vincentes: hi sunt ille mulieres prægnantes, quæ ruinam sue carnis extendunt, & quibus in timorum gressus pigrescunt animorum, effata virtutum, sœtæque vitiorum. Per mulieres prægnantes, ac nutrices, quæ in deliciis versantur, intelligit eos, qui carnis voluptatibus indulgent. De quibus infra ait hoc cap. 24. Matth. n. 37. Sicut erant in diebus ante diluuium comedentes, & bibentes, & nubentes; hi vitii, ac illecebris maxime delicati, ac desides efficiuntur, vt penitus eorum vires eneruentur, inutiles redantur ad labores vitæ, ac itineris. Nam vt ait D. Ambrosius in Psal. 118. Cum somno, & cibo seruent corpora, tunc etiam vigor mentis sopore laxatur.

42.

Difficilis quæstio.

43.

Calamitate omnia mutantur, & quæ erant benedicta fiunt maledicta. Luc. 23.

44.

Pelusiota.

Arguuntur qui liberè non arguunt.

Prou. 1.

Septuaginta.

Isai 6.

Interlin.

Psal. 49.

45.

Ambros.

Delicati inutiles ad labores.

Ambros.

in somno resoluitur: tunc irrepit impuri libido concubitus, tunc perturbatur cor, & squalorem immunditia non veretur.

46. Ambros.

Quartò, Idem D. Ambrosius citato loco in Lucam. Nec illa prægnantes, ait, condemnationis exortes sunt, quæ in bonorum actuum molimine constituta, nec dum aliquos bonorum operum dederunt processus. Sunt quæ de Dei timore concipiunt, sed non omnes pariunt, non omnes perfecti, non omnes possunt dicere: peperimus spiritum salutis in terra. Non omnes Maria, quæ de Spiritu sancto Christum concipiunt, Verbum pariunt. Sunt, quæ abortiuum verbum excludant, antequam pariant. Sunt, quæ in utero Christum habeant, sed eum nondum formarunt. D. Hieron. in Matth. ait: Væ illis animabus, quæ non in perfectam virum sua gemina perduxerunt, Ecce iuxta SS. Doctor. Cur prægnantes, & nutrices finis tempore in maiori periculo versentur, vt super illas, Væ inlacetur. Non enim est sermo de prægnantibus corporalibus, sed spiritalibus respectu damnationis æternæ: de iis nimirum, qui bona desideria, & propostum bonum de tollendis peccatis, & virtutibus plantandis conceperunt; nunquam tamen illis virtus pariendi, nec opere compleuerunt, quod sibi ad ad salutem necessarium conceperunt, & si quid effecerunt, nunquam tamen id adoleuit, & ideo non mirum si omnino pereant.

Hieron.

Arguuntur, qui virtutem concipiunt, & non exequentur.

47.

Zachar. 11.

Septuag.

Pagnin.

Varabl.

Aquila.

Detestabile opus virtutis conceptum non perficere.

August.

48.

Cant. 7.

Inuisibilia qui habet flores, & non fructum.

Gregor.

49.

Isai. 37.

De populo suo ait Deus per Zachariam c. 11. num. 8. Contracta est anima mea in eis: siquidem anima eorum variavit in me. Illud, contracta est anima mea in eis, alij legunt: Tristata est, seu, coangustata est anima mea. Septuaginta: Grauatata est anima mea. Pagnin. Afflicta est anima mea propter eos. Variabl. Animus meus detestatus est eos. Alij: Animus meus abhorruit eos. Sed cur Deus sic grauatur, detestatur, ac exhorret eos? Statim subdit rationem: Siquidem anima eorum variavit in me. Aquila transtulit: Non maturavit in me: fructus iustitiæ, quos conceperat, non produxit ad maturitatem, nil enim magis Deus abhorret, nihilque ei detestabilius est, quàm virtutem animo conceptam, non perficere, ac opere adimplere; qui incipit bonum opus, & opere non perficit, rem monstruosam facit. D. Augustinus serm. 8. ad fratres in Eremito: Bonum, ait, inchoare, & malo sine concludere: quid est aliud, quàm monstruosas res conficere? Et postea subdit: Cane, ne actio tua monstrum maneat, enormis enim erit factus ventris, si capiti non correspondeat finis.

Ait anima ad suum sponsum: Surgamus ad vineas, videamus, si floruit vinea, si flores fructus parturium. Cant. 7. n. 12. Exhortatur eum, vt ad vineas descendat, vt videat tantum, an ibi sint flores, minime, sed etiam: si flores fructus parturium. Parum profunt flores, nisi maturalescant in fructus; sciebat suum dilectum non delectari floribus tantum, nisi in fructus parturirent; aliter vinea indigna erat aspectu sui dilecti. D. Gregor. lib. 12. Moral. cap. 24. Non ergo, ait, intueendum est, si vinea floreat, sed si flores ad partum fructuum conualescant: quia mirum non est, si quis bona inchoet, sed valde mirabile est, si intentione recta in bono opere perdetur.

Ait Rex Ezechias apud Isaiam 37. num. 3. Venerunt filij vsque ad partum, & virtus non erat pariendi. Origenes legit: Dolores partus venerunt ei, & virtus pariendi non est in ea. Sermo est de partu actuum virtutum, sed quando introducit concipiens, & non pariens, cur potius proponi-

tur scemina, quam vir, quia in animo concipere virtutem absque edito partu, & fœtu in lucem, non est virilis virtutis, sed scemineæ debilitatis. Origenes homil. 10. in Exod. Perfecti ergo sunt viri, & fortes, qui statim vt concipiunt, pariunt, id est qui conceptum fidei verbum in opera producant. Anima autem, quæ concipit, & in ventre retinet, & non parit, ipsa mulier appellatur, sicut Propheta dicit. Dolores partus aduenerunt ei, & non erat virtus pariendi. Vide supra c. 22. n. 33. c. 39. n. 20. 21. 22.

Dabilis animi concipit virtutem, & non parit. Origen.

QVÆSTIO VIII.

Quare mandat Dominus orare, ne fuga contingat in hyeme, vel Sabbato?

ENSUM litteralem dedi in expositione, mysticum inquirimus. Primò responderet D. Ambrosius ad citatum cap. 21. Luc. Et quia, ait, septuaginta annis populus in captiuitate durauit, tunc violata religio, obruta libertas, pudicitia vulnerata. Ergo tunc tibi emigrandum ex hac vita, quando virtutes vigent, vitia captiua tua; non quando captiua est anima, & vigor eius, & virtus vacat, & corporis peccata dominantur. Figurata est locutio ex septenario numero, & fit allusio ad captiuitatem Babylonicam, quæ septuaginta annos durauit, monet ergo nos diuinus Magister orandum esse à Deo, ne fuga ab hac vita, seu mors nobis contingat in seruitute captiuitatis Babylonicæ detentis, hoc est quando peccatorum laqueis sumus irritati, quia tunc certissime in interitum æternæ damnationis incidemus.

50.

Ambros.

Ne mors contingat dum peccata videntur.

Secundò, D. Athanas. q. 83. Hyemem, ait, peccata vocat, & Sabbatum securitatem: dicit ergo vt anime in peccati securitate, vel scordia constituta. In hyeme ob frigus denotantur peccata, in Sabbato verò securitas, nam in illo Iudæi se liberos ab omni infortunio existimabant. Christus in præsentia loquitur de obsidione Hierosolymæ, & quando omnes alij maximè erant pleni timore, & multa miseria, ac tribulatione vexabantur. Merito væ dicitur de illis, qui in peccatis securi agunt, & sibi dies festos parant.

51.

Athanas.

Miser, qui dum alij periclitantur, ipse in peccata sua securus est.

Tertiò, D. Basilius in Isaiam: Intelligendum est, ait, dictum illud Euangelicum, ne nobis tunc incidat fuga, cum per inertiam vitam nostram traducimus. Conuenit nobis orare, ne fuga fiat in hyeme, vel Sabbato, & cur nobis tam suspecta est hæc fuga tamque cauenda? In hyeme intelligitur torpor inertie, & negligentie, tunc enim frigore membra contrahuntur, in Sabbato verò denotatur vacatio laboris. Cum ergo negligentia cum vacatione operis regnat, tunc maximè deplorata est fors nostra, maximèque nobis timendum, valde enim periculosum est simul iungere inertiam vitæ, & sæculi fugam, non enim potest fugere à sæculi vanitate, qui otio indulget. Vide supra cap. 34. n. 23. 24. 25. 26.

52.

Basil.

Non fuget à sæculo, qui inertia in indulget.

Quartò, Carthusianus: Spiritualiter, ait, per hyemem exprimitur tempus, sine extinctio charitatis; per Sabbatum vacantia boni operis, & qui in istis est, inaniter fugit, cum manum Dei non possit effugere. Sine charitate, ac cum vacantia operis inaniter quis præsumit fugere ab ira Dei, illis enim non effugiet, sed potius in eam incidet.

53.

Carthul.

Otio vacans non fuget ab ira Dei.

Quintò, D. Cæsius Arelaten. homil. 42. Ne

54.

Cæsius.

Qui à periculo semel fugit, caueat ne iterum in illud redent.

fiat fuga vestra in hyeme, vel Sabbatho. Sic ait: quasi aperte dicat, videte, ne tunc, queratis peccata fugere, quando iam non licet ambulare. Ut fugeret à calamitate, ac ruina peccatorum habuit homo omnes dies hebdomadæ, omnisque dies vitæ suæ, caueat ergo ne relinquat fugam, ac declinationem à peccatis ad extremum tempus, Quando iam non licet ambulare. Ut Iudæis non licebat longum iter in Sabbatho; tunc forte non erit ei occasio, ac opportunitas, vt à suis peccatis valeat exire, ab eisque ad semitam iustitiæ declinare; & non decipiatur homo, ex eo quodd aliquando à periculo, ac laqueis imminentiis mortis liber exiuerit, & secum cogitet, quodd non semper ei ita contingat, sed quodd aliquando deprehensus incidet in interitum, à quo se non valeat expedire.

55.

Samson Dalilæ illecebris captus in eius gremio dormiebat, vbi semel, bis, & ter laqueis suorum inimicorum detentus, crinibus suis spiritu incumbante, cum à somno esset excitatus, per totidem tres vices ab inimicorum suorum insidiis se liberauit; contigit tamen cum mulieris lenociniis prouocatus, de more gremio suo se ad somno indulgendum committeret, tunc callida arte dormientis tonduntur crines, & inimicorum vociferatione excitatus. Qui de somno consurgens dixit in animo suo: egrediar, sicut antea feci, & me excutiam, nesciens quod recessisset ab eo Dominus. Iud. 16. n. 20. Duo hic maximè expendenda sunt. Vnum, quodd nesciebat statum suum, quodd Dominus recesserat ab eo; alterum quodd nesciens dicebat.

Iudic. 16.

Qui à periculo liberatus est, caueat ab aliis ne in illa incidat.

Egrediar sicut antea feci. O quantum hoc hominibus documentum, si enim aliquando dante Deo à laqueo mortis, & periculo liberati sunt, non dubitant iterum se similibus illaqueari, non cogitant fieri posse, quodd Deus recedat, & non velit iterum reuertere congrua opportunitate, vt à periculo liberet. Eleganter D. Ambros. de Samson sic fatur. Ex somno, ait, experrectus faciam, inquit, sicut soleo, & excutiam me super aduersarios, sed neque animi sui alacritatem, neque virtutem agnouit, nec vigor erat, nec gratia manebat. Qui ab vno periculo fugit, caueat ab aliis, fiet enim aliquando vt in illa incidat, à quibus non egredietur.

Matth. 24. Erit enim tunc tribulatio magna, qualis non fuit ab initio mundi, vsque modo, neque fiet.

Num. 22. Et nisi breuiati fuissent dies illi, non fieret salua omnis caro: sed propter electos breuiabuntur dies illi.

VERSIONES.

Syriacus n. 21. Erit enim tunc oppressio magna.

Vatabl. Euthy. Erit enim tunc afflictio magna, qualis non extitit à constitutione mundi.

D. Cyprian in exhort. Martyr. gna. Erit enim tunc pressura magna.

Græcus. Neque omnino erit aliquando.

Syriacus. Et nisi decurrati fuissent

Vatablus n. 2. dies illi, non viueret omnis caro, sed propter electos decurtabuntur.

Multi ex Græco. Nisi diminuti, seu contracti fuissent dies illi, &c. Sed propter electos dimiuentur, contrahentur.

Arias. Non fuisset seruata omnis caro.

Origenes. Non fieret salua vlla caro. homil. 27.

ALTER TEXTVS.

Marci 13. Erunt enim dies illi tribulationes tales, quales non fuerunt ab initio creaturæ, quam condidit Deus, vsque nunc, neque fiet.

Num. 19. Et nisi breuiasset Dominus dies, non fuisset salua omnis caro: sed propter electos, quos elegit, breuiauit dies.

Num. 20. Erit enim pressura magna super terram, & ira populo huic.

Luc. 21. n. 23. Erit enim pressura magna super terram, & ira populo huic.

Num. 24. Et cadent in ore gladij: & captiui ducentur, in omnes gentes: & Ierusalem calcabitur à gentibus, donec impleantur tempora nationum.

EXPOSITIO IV.

ERIT enim tunc tribulatio magna. Origenes homil. 26. in Matth. D. Augustin. epist. 80. D. Chrysof. homil. 77. D. Paschas. lib. 11. Euthymius, Theophylact. Euseb. lib. 3. histor. cap. 7. D. Thom. Caietanus, & alij, hæc verba de excidio Hierosolymitan. interpretantur. De quo hæctenus locutus est Dominus. Et confirmatur hæc sententia ex textu Luc. Cadent in ore gladij, & captiui ducentur. Et tunc dupliciter explicatur. Erit tunc tribulatio magna, qualis non fuit ab initio mundi, ex quo gens Iudæorum esse cæpit, nec enim in captiuitate Ægyptiaca, nec Assyriaca, nec Babylonica, nec sub Antiocho Epiphane tantam cladem, miseriam, ac oppressionem passa est gens Iudæorum, ac sub Tito, & militibus Romanis, à quibus extremam desolationem sustinuit. Secundò & plenissimè. Qualis non fuit ab initio mundi. Hoc est à constitutione mundi, ex quo homines esse cæperunt, nec in conflagratione Sodomæ, nec in submersione Ægyptiorum, nec in subuersione aliarum ciuitatum, extitit vnquam vlla gens, quæ tam atrocem, ac horrendam deuastationem, ac desolationem, exterminium, & excidium sustineret. Ve gens Iudæorum sub Tito passa est, ac proinde si omnia supplicia aliarum particularium nationum, cum excidio Hierosolymitano comparentur, omnia illius comparatione minora sunt: dixi particularium.

Excidium Hierosolymæ.

Excidium Hierosolymæ.

Caietan.

particularium nationum propter diluuium vniuersale, quia vt notat Caietanus in atrocitate, ac rigore superat excidium Ierolymitanum, cum omnes perierint.

57.

Irenæus, Ambros. Gregor. Hilar. Chrysof. Hieron. Euthym.

Erit tribulatio. De afflictione obsidionis Ierolymæ sermonem esse interpretati sumus. Tamen valdè verisimile existimo quodd Christus hic incipit agere de persecutione Antichristi in fine mundi, & respondet iam his, quæ ad secundum aduentum pertinebant. Ita D. Irenæus lib. 5. c. 29. D. Ambros. in Luc. D. Gregor. lib. 32. moral. cap. 12. D. Hilar. in Matth. D. Chrysof. in Imperfecto homil. 49. & hæc sententiam etiam approbant D. Hieron. & Euthym. in comment. Probatur ex textu; nam post descriptam hæc tribulationem pressuram, subdit Christus: Statim autem post tribulationem dierum, sol obscurabitur, & luna non dabit lumen suum. Et statim post tribulationem Iudæorum sol non est obscuratus, & cætera non euenerunt, intelligitur ergo locus de persecutione Ecclesiæ tempore Antichristi, & fieri potest, vt idem locus scripturæ habeat duos sensus intentos ab Spiritu sancto.

Tempus Antichristi.

58.

Chrysof.

Et nisi breuiati fuissent dies illi: persecutionis, & obsidionis Ierusalem; non fieret salua omnis caro. Iudæorum existentium in Hierusalem, vt interpretatur D. Chrysof. Caro ponitur pro homine, per synecdochen ponitur pars pro toto. Sensus ergo est. Nisi Deus ab æterno pauciores fore decurtasset dies vastationis Iudææ, & in tempore pauciores exhibuisset, quam Iudæorum culpa, & Romanorum ira exigebat, omnes omnino Iudæi perirent. De tempore Antichristi. Sensus est: Nisi breuiati fuissent dies illi. Omnes Christiani perirent: Sed propter electos breuiabuntur. Electos vocat prædestinatos, nam in obsidione Ierusalem fortè fuerunt aliqui Christiani. Vel ex illis Iudæis, qui euaserunt aliqui sunt conuersi ad fidem. D. Augustinus epist. 80. Non debemus, ait, ambigere, quando euersa est Ierusalem fuisse in illo populo electos Dei, qui ex circumcisione crederant, siue fuerant credituri. Tempore Antichristi simili modo propter electos breuiabuntur dies.

August.

QUESTIO IX.

Quare terribilis, & dura persecutio denunciatur, qualis nunquam fuit.

59.

Ioseph.

IC hæc verba ad excidium Ierolymitanum referas, quantum fuisse illius excidium, deuastationem, ac ciuium tribulationem explicat Iosephus lib. 6. de Bello cap. 11. Vi autem, ait, breuiter dicam, neque aliam ciuitatem vnquam talia perpassam puto, neque vllam nationem post hominum memoriam, seditiosis malitia ferociorum fuisse. Et lib. 7. cap. 17. Superat, ait, omnem humanam, & diuinitus emissam pestem numerus peremptorum, quos partim palam occidere, partim ceperunt Romani. Nam vt ipse Iosephus asserit citato loco præter alios innumeros per totam Iudæam cæcos, in sola Ierolyma tempore obsidionis eiusdem mortua esse fame, peste, & gladio, vnde cics centena hominum millia, captiua verò fuerunt nonaginta septem millia Iudæorum, & ita adimpletum est, quodd Christus prædixit per D. Luc. Cadent in ore gladij, & captiui ducentur in omnes gentes. Et Iudæi iusto Dei iupicio sunt

Iac. 21.

tanto supplicio affecti, vt rectè inquit D. Chrysof. Theophyl. Euthym. Quia summum omnium peccatum admiserunt, patricidium Christi filij Dei, coniunctum cum pertinacissima illius repulsa.

Chrysof. Theophyl. Euthym.

Si verò ad tempora Antichristi referas, quàm crudelis sit ipsa persecutio, optimè colligit D. Augustin. ex cap. 20. num. 3. Apocalypf. Post hæc oportet illum solus modico tempore. Tunc enim solutus erit Satanas, & si ille modo catenis ligatus per tot crudelitatum genera à Paganis, Hereticis, Mahometanis, ac Iudæis ardentis futore seruit in Christi membra; velut Molossus catenis, & cauea liberatus debacchabitur. D. August. lib. 20. de ciuit. cap. 8. In eorum sanè, ait, qui tunc facturi sunt sanctorum, atque fidelium comparatione, quid sumetur nimicus. Diabolus scilicet citato Apocal. loco: Cum quo nos ligato tantis periculis dimicamus. Ex quo colligitur Martyres illorum temporum præcedentibus illustriores esse. Vt aperte docet D. Hypolit. orat. de consummatione mundi. Quippe prioribus, ait, sublimiores declarandi sunt, propterea, quodd superiores superauerunt tyrannos, hi verò Diabolum ipsum filium perditionis expugnauerint.

60. De Antichristo. Apoc. 20.

August. Diabolus tempore Antichristi seruiet.

Hypolit.

Iauenus in suo opere ad Euangelia serm. 1. ait: Erit maior pressura, quam nunquam fuerit in mundo: maior, quam tyrannorum, & hereticorum fideles persequentium, & quam hypocritarum: & hæc erit persecutio Antichristi. Persecutiones excitaras contra fideles ex triplici hominum genere enumerant, ab Tyrannis, Hereticis, & hypocritis. Persecutio autem hypocritarum sæuior, ac crudelior, quam quæ excitata est à Nerone, Diocletiano, & aliis, & ita persecutio ex hypocritis, seu ex Pseudo-prophetis erit persecutio Antichristi, quis enim crudelior mala machinatur in populum, quam princeps, vel gubernator religionis, vel boni communis prætextu?

61. Iauenus.

Ex hypocritis durum bellum.

Tertio. Richardus de S. Victore tract. de Plagis, quæ circa finem mundi euenient. Erunt enim, ait, dies illi tribulationes tales, quales non fuerunt ab initio creaturæ, quam condidit Deus vsque nunc, nec fiet; hæc autem quasi tribulationem tribulationum, & afflictionem afflictionum per expressionem significare voluit cum dicit, antequam adueniat tempus afflictionis; sed inde constat illos annos veraciter vndequaque hominibus displicere, quia in illis diebus eligent homines mori magis, quam viuere; secundum quodd scriptum est. Apocalypf. 9. n. 6. In illis diebus quærent homines mortem, & non inuenient eam, & desiderabunt mori, & mors fugiet ab eis. Crudelis tunc erit pressura, dum sub timore mortis degant, & viuunt, nam mortis timor ipsa morte peior est.

62. Richardus.

Timor mortis durior ipsa morte.

Apoc. 9.

Cum fugeret Parens meus Elias à facie Iesabel. Cùmque uenisset, & sederet subter vnam iuniperum, perituit anime sue, vt moreretur. 3. Reg. 19. n. 4. Cur fortissime Pater mortem cupis, quam fugis? Nunquid in aliquid morte atrociori incurristi, quodd vel etiam in funesto mortis sinu euadere non formides? Inuenit cetera, scilicet ipfius mortis timorem. Obiectam mortem ira Iesabelis, tanquam grauissimum malum fugiebat, at postquam in timore mortis incidit, ita illo angitur, & affligitur, vt mortem, quam durissimum malum putauerat, iam leue existimet, & in illo refugium maioris damni, scilicet timoris exoptet. D. Chrysof. serm. 147. Elias, ait, ille,

63. 3. Reg. 19.

Leuis est mors comparatione illius timoris.

Chrysol.